et vocavit per gratiam suam
nunquam vehementer cuperet foris. Et
nec vim nec fraudem metuo
profecto ullam qua me videli-
cet de manu eius possit eruere
qui et vincente omnia vicit
mortem, et seductorem univer-
sitatis serpentem arte utique
sanctiore delusit, isto pruden-
tior, illo potentior. Carnis
quippe quod assumit veritatem
sed peccati similitudinem, dulcem in
illa proinde exhibens consola-
cionem infirmo, et in hac pru-
denter abscondens deceptionis
laqueum dyabolo. Porro ut pa-
tri nos reconciliaret mortem for-
titer subiit, et subegit fundens
precium nostre redemptionis sangui-
nem suum. Certo nisi amasset
dulciter, non me in carcere re-
quisisset illa maiestas. Sed iun-
xit affectioni sapientiam qua ty-
rannum deciperet, iunxit et pa-
tientiam qua placaret offen-
sum. . n . Hy sunt modi quos vo-
bis proposueram, sed premisi eos in
Christo ut commendabiliores haberetis.
Disce christiane a Christo quemadmodum
diligas Christum. Disce amare
dulciter, amare prudenter,
amare fortiter. Dulciter ne
illecti, prudenter ne decepti,
fortiter ne oppressi ab amore
domini avertamini, ne mundi gloria
seu carnis voluptatibus abducamini,

dulcescat tibi pre hys sapientia
Christus. Ne seducamini spiritu menda-
cii et erroris, lucescat tibi ve-
ritas Christus. Ne adversitatibus
fatigeris, confortet te virtus
dei Christus. Zelum tuum inflam-
met caritas, informet sciencia, fir-
met constantia. Sit fervidus, sit
circumspectus, sit invictus, nec
tepore habeat, nec careat discre-
cione, nec timidus sit. Et vide . o .
ne forte ista tria tibi et in le-
ge tradita fuerit dicente domino:
Diliges dominum deum tuum ex toto
corde tuo, et ex tota anima tua
et ex tota virtute tua. Michi
videtur si alius competencior
sensus in hac trina distinctione
non occurrerit, amor quidem cor-
dis ad zelum quendam pertinere
affectionis, anime vero amor ad in-
dustriam seu iudicium rationis, vir-
tutis autem dilectio ad anime posse
referri constantiam vel vigorem.
Dilige ergo dominum deum tuum
toto et pleno cordis affectu,
dilige tota rationis vigilancia et
circumspectione, dilige et tota vir-
tute, ut nec mori pro eius
amore pertimescas, sic scrip-
tum est in consequentibus: Quoniam
fortis est ut mors dilectio, du-
ra sicut infernus emulacio. Sit sua-
vis et dulcis affectui tuo dominus
Ihesus contra male utique dulces
vite carnalis illecebras, et